

**De partibus quas agit vagina in partu : dissertatio inauguralis medica ... /
auctor Theophilus Latz.**

Contributors

Latz, Theophilus.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Fratrum Schlesinger, 1843.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bnh4jrrx>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2

DE
**PARTIBUS QUAS AGIT VAGINA
IN PARTU.**

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. JULII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

SCRIPTOR

THEOPHILUS LATZ

CLIVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. IDELER, med. et chir. Dd.

E. LINDENHEIM, med. et chir. Cand.

J. GRUBER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VOM 18

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN THE

OFFICE OF THE

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

OF THE

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAE

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE COLENDIS

D. D. D.

SCRIPTOR

H A S C E

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO


D. D. D.

SCRIPTOR.

PROOEMIUM.

Res ea, quod tamponatio vaginae dolores provocat praematu-
ros, ab eo tempore, quo primum ad artem obstetri-
ciam incubui, maxime mirabilis mihi videbatur, diuque in
animo volutavi, quae tandem sit causa talis portenti.
In omnibus physiologiae legibus nullam, huic omnino
similem, invenire potui. Tunc vero in mentem mihi ve-
nit, totum partus decursum aliter percipere, et vaginae in
eo vim tribuere majorem; et ita hoc quidem assecutus sum,
ut ea ratione, quam in his pagellis exposui, rem mihi clario-
rem facerem. Num futurum sit, ut inexperti opiniones a me-
dicis exercitatis probentur, nescio. Equidem in lucem
non edidissem ea, quae de hac re opinor, nisi necessitas
me coegisset ut dissertationem scriberem. Propositum illud
tamponationis instituendae, aut quod fere est idem, vesi-

cae a Buschio inventae immittendae in anomaliis partibus
enumeratis, ipse usu non tentavi, itaque de conjectura
tantum sermo esse potest. Haec praemittere me debere
existimavi pagellis insequentibus, in quibus legendis,
lector benevole, sis memor, tironem fuisse, qui eas con-
scripserit.



INCOGNITUM

... quod tamquam vagina dolores provocat pre-
... ad eo tempore, quo finem ad alium obstat-
... maxime mirabilis non videtur, dicitur in
... quae tandem ad causam talis potentia
... physiologiae tegitur nullam, hinc omnia
... invadit potius. Tunc vero in mentem venit vo-
... decursum aliter perire, et vagari in
... et in hunc modum; et in hoc patitur necessitas
... quoniam in his pagellis exponit, non sibi solum
... ut in hunc modum sit, ut in hunc modum
... extrinsecus procedant, necesse. Et quidem in locum
... quod de hac re opinor, non necessariis
... et disputationem acerbam. Et postquam illud
... aut quod hoc est idem, veri-

Partes eae, quas agit vagina in expulsionem infantis, in universum multo minoris, ac justum est, pensantur, nec sunt pauci, qui illam expulsionis actionem soli utero adscribant. Primis graviditatis mensibus superior uteri pars praecipue evolvitur, postremis inferior. Una cum primis doloribus conformatio inferioris uteri segmenti prorsus perficitur, ita ut uterus jam omnino sit aptus ad expellendum infantem. Sed jam advenit etiam praeparatio vaginae, neque aliter, quam hac bene evoluta ac praeparata, infans ab utero sese contrahente sine periculo vaginae et partium genitalium exteriorum expelli potest. Quae vaginae evolutio si parum fit legitime, aut si in impedimenta incidit difficilia superatu, per hoc decursus partus praepeditur et anomaliae superveniunt partus actioni, quas saepius utero adscribere non abhorremus, cum tamen earum caussae in vagina tantum sint positae. Constat autem vaginae conformatio in eo, ut ejus membrana mucosa

turgescat, hujusque cryptae mucosae ad majorem evehantur actionem, ipsaque amplior reddatur. Ita tantum praeparata partem infantilem, altius in pelvem descendentem, ad lucem proferre potest. Est autem actio illa praeparandae vaginae non solum mechanica, quae efficiatur ab parte infantis ab utero expressa, sed etiam dinamica, nec minus hic adest ratio dinamica, quam in conformatione segmenti inferioris uteri. Utrumque momentum, et mechanicum et dynamicum, alterum alteri junctum adest. Vaginae conformatio illa prima partus periodo incipit, et progreditur una cum dilatatione orificii uterini progrediente, atque cum descensione altiore partis infantis.

Wigand in libro, quem conscripsit de partu hominis (edit. II. Tom. II, pag. 327 seq.), allatis duodecim argumentis satis comprobavit, vaginam in parte non passivas agere partes. Tentat ille evincere his argumentis, vaginam activam esse in actu partus, eamque, durante partu, organon non esse quasi mortuum ac languidum. Attamen documenta illa non id spectant, num vagina sit organon necessario implicatum in totum partus actum, atque actione sua opposita sit uteri actioni, ideoque aliquid valeat quum ad totum partus decursum, tum ad perturbationes proferendas, praecipue in primis partus periodis. Wigandi argumenta id tantum definiunt, partem infantis,

quae altius descenderit, non solum uteri actione, sed etiam propria vaginae vi agente omnino expelli. Unicum, quod in ejus libro laudato de implicatione vaginae in totum partus actum, ideoque de vi, quam exerceat in totum partus decursum, inveni, exstat in pag. 337, quo loco prognosin facit de verisimili partus spatio ex laqueari vaginae. Jam vero hac dissertatiuncula demonstrare tentabo, vaginam esse organon in totum partus actum implicatum, ideoque turbationes dynamicas in toto partus decursu saepe sedem habere primariam in ea, nec semper, ut fere omnes statuunt, primo loco proficisci ab utero. Causae vero nos moventes, ut haec constituamus, sunt hae:

1) Plurimae perturbationum illarum dynamicarum occurrunt in primiparis, et tunc quidem, si orificium uteri jam paululum dilatatum, et vagina in eo est, ut perveniat ad culmen evolutionis. Postquam tota uteri conformatio per graviditatis decursum bene se habuit, nunc subito impedimentum occurrit. Quid tandem exstet, quod uterus legitime conformatus subito haesitet in functionibus suis naturalibus? Tota graviditas, quod attinet uteri evolutionem, eundem habuit decursum quam in multiparis, et nunc ipsum sese monstrant res primiparae difficiliiores. Quid sit, cur uterus, qui in evolutione a via non aberravit legitima, jam in expulsionem in contrarias ruat partes?

Nonne e contrario diversitatem, si qua adesset inter uterum multiparae et primiparae, potius in eo poneretur, quod in hac magis in primis evolutionibus rationem ineat anormalem, propter rigiditatem majorem, quam in expulsionem? Causam impedimentorum subito oborientium equidem plerumque in vagina sola invenire possum, cui, pro maiore sua rigiditate, ad conformationem longiore opus est tempore in primiparis quam in multiparis: qua retardatione oblata, uterus in functione impeditus, secundo loco pravitatum societatem suscipit.

2) Tum ad constituendum illud nos adducit novissima partus praematuri provocandi methodus, quippe quae demonstret, quantopere agat vagina in partum. Pristinis temporibus partes, quas agit vagina in partu, tam exiguas duxerunt medici, ut ne ulli quidem in mentem veniret, e vagina agere in uterum; dumque secundarium tantum ejus negotium esse putabant, ad partum provocatum, quem vocant, instituendum diversis modis, cuique cognitis, in uterum easque partes, quas gravidus circumcludit, irritamentis admotis agere tentarunt, ut sic eam istius excitarent actionem, quae legitime serius supervenire debet. Observatio autem, vaginae tamponationem apud placentam praeviam institutam non solum sanguinis profluvium suppressere, sed etiam intra breve tempus dolores provocare,

medicos invitavit ad perscrutandum, annon tamponatio in quavis graviditate instituta dolores praematu-
 posset. Successit coeptis, atque hodie fere ab omnibus medicis methodus haec vaginae irritandae aut per tamponationem, aut immissa vesica illa a Buschio inventa (quam collapsam in vaginam illatam vel aëre inflato, vel aqua immissa tumefacimus) ceteris methodis, ad provocandum partum praematurum inventis, antefertur. Atque haec methodus nos movet ad conclusionem, vaginam magnas agere partes in partu. Ea efficitur, ut partus decursus ordinem sequatur contrarium ac natura praescribat, ita ut quod alias postremo, jam primum eveniat, atque symptomatum series alias sursum progrediens, jam deorsum feratur. Rebus legitime cedentibus, primam videmus orificii uterini dilatationem pedetentim progredientem, cum eaque junctam magis magisque procedentem vaginae actionem. Hic tamen majorem cernimus vaginae actionem primum, quam sequitur demum orificii uterini et dolorum evolutio. Jam vero si vaginae conformatio ratione mere secundaria provocaretur actione uteri infantem expellentis, nullo modo irritamentum, ad vaginam conformandam adactum, agere posset in uteri actionem. Quibus ex rebus sequi credo, conformationem uteri et conformationem vaginae singulas esse res ad partum pertinentes,

quarum utraque easdem agat partes in expellendo infante, at quae quasi manibus junctis progredi debeant, ut partus decursus maneat intra fines legitimos.

Jam vero, quum vaginae evolutio eodem modo in partum progredientem agat quam uteri contractiones, sequatur inde necesse est, anomalias dynamicas, quas vocant, in partus decursu non minus proficisci posse primo loco a vagina quam ab utero. Immo omnino non abhorreo ab opinione, anomalias dictas saepius proficisci primarias a vagina quam ab utero, suntque causae, quae me ad hoc statuendum commovent, hae: Si uteri expulsionis vim, saepius fidem excedentem, cum vagina tenui, contra et per quam infans propellitur, comparamus, mirum est, quod vaginae rupturae per partes infantis, praesertim per caput, tam raro occurrunt. Quicumque ipso usu non perdidicit, sed ratione tantum sibi depingit partus actum, is certo, uteri sese contrahentis vi computata, opinetur, rupturas vaginae, vel etiam ejus inversiones quotidie medico esse obvias; attamen illae rarissime, et hae fere nunquam occurrunt. Hanc rem ita mihi explico, ut putem vaginam, quae integritatem servare non possit impedimento mechanico opposito, dinamica objicere impedimenta. Ut aliis verbis utar: uterus nimium urgens perturbationes provocat in conformatione vaginae. His vaginae pertur-

bationibus in uterum reflexis, hujus actio ita deprimitur vel flectitur, ut fractus viribus, antea effrenate prorumpentibus, jam non possit vaginae incommodum inferre. Itaque perturbationes illae dynamicae saepe respectu totius tantum partus decursus anomaliae vocari possunt, sed tamen omnino necessariae ad servandum partium genitalium exteriorum statum integrum.

Sunt autem anomaliae dynamicae, quae in vagina per partum primo loco observantur, eadem, quales in utero occurrunt. Itaque habemus:

1) Conformationem languidam et laxitatem vaginae. Hic vagina est sine turgore, paululum tantum dilatata, cryptae mucosae parum activae, et hanc ob causam vagina ipsa modice tantum humida. Haec affectio in uterum reflexa, etiam hujus actionem deminuit, i. e. dolores rarius, longo tantum tempore interposito, apparent, orificium uteri lente granditur.

2) Spasnum vaginae. Hic vaginae partes spasmobnoxiae contrahuntur, cryptae mucosae spastice sunt clausae ideoque omnino otiosae, vagina sicca ideoque perscrutanti calidior. Haec affectio in uterum reflexa, etiam hunc incitat ad actiones spasticas, i. e. dolores non agunt in totum uterum, sed in singulas tantum partes, nempe spasmum affectas; quae actio extra cursum dirigere debe-

ret, ea introrsus eam dirigit, ita ut uterus contra se ipsum pugnet.

3) Affectionem vaginae inflammatoriam. Hic secretio eadem est suppressa, sed vagina multo magis calidam sese offert, singulae membranae mucosae partes tumefiunt, prominent in vaginae tubum, valdeque, si digito tanguntur, sunt dolorificae. Hac affectione in uterum reflexa efficitur, ut praecipue portio ejus vaginalis, quippe quae tota circumvoluta sit a membrana mucosa, inflammatione correpta tumescat. Sursum magis, ad corporis uterini membranam mucosam, raro inflammatio repit, et rarius adhuc uteri substantiae inflammatio a vagina impertitur.

4) Actionem vaginae nimiam. Hic vagina valde turgida, valde humida, ejus cryptae mucosae valde expeditae, ejus tubus amplus. Qua affectione in uterum reflexa, etiam hujus vigor major reddi potest, attamen et minor, de quo posthac.

5) Paralysis et vaginae et uteri, pelvi bene se habente, rarissime occurrunt.

Quibus in animo volutatis, hasce turbationes dynamicas saepissime causam primariam in actione vaginae anomala, quam secundo tantum loco sequatur actio uteri anomala habere puto:

1) Retardationem partus, impedimentis mechanicis deficientibus, per periodum primam et secundam. Quae

si non solum primis adest periodis, sed etiam per totum partus decursum durat, verisimile est, uterum ipsum esse in caussa. Sed tamen si periodo prima et secunda lente progredientibus, periodo tertia et quarta dolores intrant pollentes et efficaces, hi, ut equidem opinor, nobis monstrant, in vagina fuisse caussam partus protracti, quae antea viribus non par fuerit utero. In tali rerum conditione invenimus etiam vaginam antea, scilicet periodis primis, siccam et laxam, per reliquum partus decursum humidam, turgidam, amplam. Uterum hic sese accinxisse ad expellendum infantem, demonstrant dolores primis initiis saepe fortissimi oborientes; vagina autem nondum potuit satisfacere parti infantis valde urgenti, et parva ejus actione in uterum transplantata evenit, ut hic in contractione cesset. Tum demum, si vagina apte est conformata, uterus cui jam vincula sunt soluta, in priorem vigorem redit. Verumtamen etiam tunc, si partus decursus per periodum tertiam et quartam segnis remanet, segnities illa primum locum in vagina habere potest. Potest enim uteri vigor, qui primum aderat, impedimentis a vagina objectis, quibus partim illius segnities ipsi impertitur, partim idem (quod in sequentibus exponemus) in spasmum ruit, ita infra legitimam actionem recidere, ut etiam serioribus periodis ad pristinum splen-

dorem redire nequeat. Nec minus cogitatione percipi potest, vaginae segnitiam, per totum partus decursum durantem, etiam uteri actionem praepedire. In decursu partus legitimo verisimillimum est, vaginam, dilatatione ipsius pedetentim progrediente, uterum in contentionis gradu apto retinere, ita ut uterus semper in certum cadat impedimentum, in quo superando ad vires exercendas cogatur. Quod tamen impedimentum si justo est majus, necesse est, partus segnius decurrat, mora illata non tam eo, quod vagina vi mechanica uteri actionem inhibeat, ad hoc enim esset debiliior, quam quod vi dinamica, adynamia vel spasmo communicato in eum agat. Ita etiam fieri potest, ut ipsa conformatio vaginae maturius oboriens, vel major vaginae quam uteri vigor, uterum non valde activum etiam segniorem faciat, partumque retardet, quum uterus impedimenti illius non fiat particeps, in quo vires exercent.

Periodis partus primis tarde decurrentibus plurimi medici curam neutram adhiberi volunt, atque optimi saltem dissuadent secale cornutum parturienti porrigere. Quando autem hoc remedio abstinemus, tunc tantum haec cura neutra legibus confirmatur physiologicis, si statuimus, uteri segnitiam in vagina causam habere posse, optimumque esse, cum non semper dijudicare possimus,

quo loco sit caussa primaria, abstinere secali, nam remedium, utero satis alacri, adhibitum, oleum, ut ajunt, adderet camino: pars infantis aut vi contra vaginam pressa, hanc laederet, aut vagina magis sese opponens utero incumbenti, ejus actionem magis adhuc anomalam faceret quam erat. Secale prima adhibitum periodo, per se quidem efficere non potest rupturam velamentorum sine amplificatione orificii uterini justa. Nam si primi dolores id efficiunt, ut orificium uteri aperiatur legitime, remedium etiam, dolores incitans, idem efficere debet.

Non abhorret quidem a veritate, velamentorum rupturam maturius evenire, si, lente decurrente periodo prima, secali utimur; at haec non primaria est secalis vis, sed arbitror potius, uterum secali incitatum gravius urgere vaginam, eoque ejus actionem magis adhuc anomalam facere, unde efficiatur, ut vaginae affectionibus in uterum reflexis, ipse contra regulam sese contrahat: quod quidem rupturam velamentorum maturiorem secum trahere potest.

2) Retardationem partus per periodum tertiam, pelve et capite infantis bene se habentibus. Hic si impedimenta proficiscuntur ab utero, dolores nonnisi longis interpositis intervallis apparent, vaginae calor modicus, capitis tumor aut parvus, aut nullus. Contra si vagina

est in causa, plerumque dolores saepius superveniunt, cruciatus secum ferunt, etiam cessantibus durantes doloribus, tumor fit capitis infantis et colli uterini. Est harum rerum causa haec: uterus pronus est ad explicandum totum vigorem, ut significant dolores saepe supervenientes, attamen vagina simili modo non est conformata. Retenta igitur pars infantis a vagina, hanc irritat, in inflammationem praecipitat, quae inflammatio simul etiam labium uterinum corripit: hac de causa dolores cruciatus secum ferunt maximos, pravique evadunt. Dolorum pravitas efficit etiam, ut caput infantis, quod descendit, magis irritetur quam ceterae partes, quapropter tumor capitis. In tali rerum conditione, si irritatio jam per longius aderat tempus, nec borax nec secale auxilium ferre possunt, ne venae sectione quidem praemissa. Optimum est forceps remedium, quae causam inflammationis, nempe caput, amoveat.

At vero haec inflammationis symptomata prodeunt tantum, ubi in utero vigor, in vagina segnities. Vaginae segnitiei si etiam uterus est particeps, partes statum servant integrum et nihil recurrit nisi partus retardatio.

3) Dolores spasticos. Hi plurimum sunt obvii ante rupturam velamentorum. Nec minus observatur saepis-

sime, partus, quorum periodi primae doloribus spasticis fuerint turbatae, spasmo remoto (dummodo non excesse- rit modum) legitime et celeriter progredi. Spasmus pri- mam sedem in utero habere potest, credo tamen, plerum- que vaginam primam esse correptam. Et est quidem ratio haec: si periodis primis vagina nondum, ut par, conformata est, atque uterus jam incipit contrahi, vaginae seguitiei parte in uterum transplantata, dolores cessant (vide nr. 1.). Attamen si uteri vigor est tantus, ut se- gnities a vagina reflexa istius vim frangere non possit, sed potius urgeat vaginam non legitime conformatam: haec, quae par esse non potest, incidit in actiones spa- sticas, quo spasmo in uterum transplantato, dolores oriun- tur spastici. Remedia interna contra dolores spasticos sunt antispasmodicorum universa series. Multo celerius autem auxilium ferunt insessus vaporarii, quod auxilium fere semper malum radicitus evellit, quia insessu vagina non solum spasmo liberatur, sed etiam laxior fit et ma- gis turgida, ob eamque causam eo redigitur, ut utero, partes expellenti, impedimentum non amplius objiciat. Nam vagina in statum legitimum redacta, uteri actiones spasti- cae plerumque sponte cessant. Hoc modo spasmus saepe tam celeriter desistit, et partus saepe tam cito progredi-

tur, ut Kluge in adhibendo insessu vaporario providentiam eam nunquam negligere suadeat, ut supra vas, e quo vapores eliciantur, cuique parturiens insideat, rete vel aliud ejusmodi illigetur, ne infans praeceps in aquam proruat. Equidem arbitror, nos per insessum vaporarium in exteriores tantum partes genitales et vaginam agere posse, quia quae vaporum pars usque ad orificium uteri, vel etiam ad reliquum uterum perveniat, ea minutissima existat. Quomodo vero talis vaginae impulsus, si secundo solum loco spasma ea sit affecta, tantopere flectere possit totam dolorum actionem, difficile est perspectu. Contra si dolorum spasticorum causam primariam in vagina collocamus, ratio, quomodo insessus tam salutariter influat, in medio posita est. Quaeritur autem, quo modo vim habeant remedia antispasmodica interna, v. c. ipecacuanha, opium. Insessu adhibito vaporario, non solum spasmum vaginae tollimus, sed perficimus etiam, ut ejus conformatio fiat melior; verumtamen in adhibendis illis remediis merum spasmum tollimus. Ideoque primus intuitus ad hanc sententiam ferendam movere posset: si vagina primo loco spasma est affecta, et secundo tantum uterus in eum rapitur, ipecacuanha adhibita, spasmus in utraque parte tollitur, et res in pristinum redit statum.

Sed aliter hoc se habet. Simulatque uterus spasmis afficitur, conditio ea desinit, quae vaginae conformationem legitimam turbat: nam turbatur tantum vagina ab utero nimium contra ipsam urgente, non a spastice quasique contra se agente. Utero spasmis affecto, vaginae spasmus pedetentim sponte solvitur, et jamjam cessavit, iamque vaginae conformatio legitime procedit, dum uterus adhuc spasmis tenetur. Nunc vero remedia interna adhibentes efficimus, ut a vagina quidem provocatum, jamjam autem modum excedentem uteri spasmum tollamus. Non agimus contra spasmum uteri, namque hic, vagina non legitime conformata, necessarius est ad removenda mala majora; sed agimus tantum contra spasmum uteri modum excedentem, qualis est spasmus, qui adhuc durat, si vagina jam est conformata ita, ut transitum dare possit infanti. In praxi medica secundum haec axiomata omnino agunt in administrandis remediis antispasmodicis, quamvis non omnes causam facti prorsus perspiciant. Nam in adhibendis ipecacuanha vel aliis ejusmodi remediis (inter quae etiam nominanda „la pommade dilatoire de Chaussier,“ qua recte Buschius maxima tantum cum circumspectione uti suadet) semper tempus aliquod spasmum saevire sinunt, priusquam parturientis cruciatus tollant. Ex iis,

quae exposuimus, sequitur etiam, insessum vaporarium non solum statim in spasmodis admitti posse, sed etiam optimum esse eum statim adhibere, nisi postea eo te adactum videre velis, ut insuper remedia impendas antispasmodica proprie dicta, ad tollendam uteri actionem modum egredientem.

Periodo tertia dolores spastici a vagina reflexi rarius occurrunt; hic saepius obvia inflammatio vaginae et labii uterini anterioris, pressione capitis mechanica, qua re dolores fiunt anomali, provocata. Potest autem fieri, ut, quum spasmus quivis exire possit in inflammationem, etiam periodis primis (et rarius etiam periodo tertia) ex spasmis fiat inflammatio.

Itaque saepe etiam

4) Retardatio partus inflammatoria primo loco proficisci potest a vagina, de quo confer ea, quae sub 2.) dicta sunt.

Quod pertinet ad partum celerius progredientem, quam ad rem omnino pelvis et partes infantis conditionem habere debent maxime idoneam, non est negandum, hic etiam vaginae partes non esse parvas. Fieri enim debet, ut in expulsione infantis invertatur illa et maximum dam-

num capiat, nisi apte pro portione uteri virium sit conformata. Ubi vagina bene est conformata, neque uteri vigor eodem modo se habet, accidere potest, ut vigore a vagina in uterum reflexo, etiam hic incrementum capiat virium, et partus celeriores faciat decursus, quam expectandum fuerit pro viribus uteri. Attamen fieri quoque potest, ut contraria eveniant, scilicet ut partus decursus fiat lentior, cum uterus, resistentia in vagina non inventa, nihil habeat, in quo vires exercere possit, de quo jam antea dictum.

Quod ad tollendas spectat anomalias dynamicas in partus decursu, de qua re in antecedentibus jam nonnulla exposuimus: ubi anomaliae illae primam sedem habent in vagina, impulsus huic directe illatus magnam habeat utilitatem, necesse est. Cujus generis esse insessum vaporarium in doloribus spasticis jam vidimus: hoc tamen remedium in hac tantum partus anomalia indicatum esse credo, quod in universum partes nimium relaxat, eamque his, quae necessaria est, aufert soliditatem. Equidem proponam ut remedium, cuius usus latius pateat, vesicam illam a Buschio ad provocandum partum praematurum inventam, eamque adhibeam


1) In dolorum imbecillitate per periodum primam et secundam. Hic etiamsi causa retardationis sedem primariam in vagina non habeat, quod quidem non semper certo constitui potest, vesica tamen imposita, aut aëre aut aqua sufflata, nullo modo damnum infert. Verumtamen si in vagina sedes est primaria, ejus conformationi dilatatione succurrimus. Nec meram tantum vaginae dilatationem vesica perficimus, sed elicit eadem etiam secundo loco eum illius vigorem, qui necessarius est ad partum, id quod videre licet, quando eam admittimus ad provocandum partum praematurum. Vidimus in antecedentibus, conformationem vaginae praematuram, uteri conformatione non pari, saepe eo dolorum imbecillitatem producere, quod uterus resistantiam non inveniens, in qua vincenda vires exerceat, segnior fiat. Hoc modo facile quidem, si vesicam praepropere immittimus, segnitiam partus artificialem proferre possumus: sed tamen haec segnities facile tollitur aliquot dosibus secalis cornuti, quod hic eo certius auxilium ferre debet, quia uteri segnities unica est causa, nec in provocatione conditionis cujusdam verisimili, quae tam facile tolli potest quam est orta, contraindicationem reperire possumus remedii, quod et decursum partus et cruciatus parturientis decurtet,

atque interdum etiam prognosin vitae infantis meliorem reddat.

2) In doloribus spasticis periodi primae et secundae. Hic auxilium vesica illatum eodem modo se habet, quam id, quod insessu vaporario infertur (conf. pag. 20). Tollimus enim conformationem vaginae imperfectam, quam ob causam etiam ejus spasmum, et secundo loco uteri spasmum. Qui tamen spasmus si jam diutius duraverit, ut residuum anomalum remanserit, melius antispasmodicis utemur internis.

Capite infantis jam longius progresso et periodo tertia jam faciente decursum, in partus retardatione vesicam non commendem. Est enim tunc spatium, in quod agere possit, nimis parvum, saepeque etiam ea ipsa vaginae pars, quam jam caput omnino tegit, minus conformata. Hic vesicae immissio prophylactice tantum locum habere potest, durantibus periodis primis, cujus rei eo magis indicationem invenies, cum in ejusmodi casibus fere semper etiam tunc aut segnem, aut anomalum fecerit decursum partus. Omnino autem contra immissionem vesicae prophylacticam, praesertim apud primiparas, eo minus

aliquid est dicendum, quod hanc fert utilitatem, ut ea im-
missa, dum alias, anomalia obveniente, cum hostibus duo-
bus tibi fuisset res, nunc tantum contra unum in certa-
men descendas, sit necesse.



V I T A.

Ego Theophilus Latz natus sum Cliviis d. XXIII mensis sexti a. MDCCCXVIII, patre Abrahamo Latz, matre Florentina Latz, quos ut Deus O. M. mihi quam longissimum adhuc servet tempus, oro atque precor. Fidem sequor Judaicam. Primis literis imbutus, gymnasium adii Cliviense, quod tunc Cl. Rigler direttore, cui successit Cel. Helmke, florebat. Hic per annorum seriem a doctissimis praeceptoribus sum institutus, e quibus praesertim dico Cel. Helmke et Cel. Hopfensack, viros optime de me meritos, quibus semper gratias habeo pro humanitate qua me prosequuti sunt, proque praeceptis, quibus animum juvenilem imbuerunt. Testimonio maturitatis instructus, sub finem a. XXXIX h. s. aliam petii universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam, ibique Rectore magnifico Ill. Goldfuss in civium academicorum numerum receptus, a Decano spectabili Ill. Naumann in album facultatis medicae inscriptus sum. Quas hic frequentavi per

annum unum et dimidium virorum doctissimorum scholas, hae sunt:

De logice et psychologia Cel. Calker; de physice Ill. Pluecker; de mineralogia Ill. Noeggerath; de zoologia Ill. Goldfuss; de botanice Ill. Treviranus; de chemia tam organica quam anorganica Cel. Bischof et Cel. Bergemann; de encyclopaedia et methodologia medicinae Ill. Naumann; de anatomia Ill. Mayer et Ill. Weber, qui viri in dissecandis quoque cadaveribus mihi duces fuere; de diaetetica Cel. Harless, quem eundem virum de Plinii libro ore latino exponentem audiui.


Mense quinto a. XLI h. s. alam petii universitatem Fridericianam Halensem, ibique a Prorectore magnifico Ill. Gruber civium academicorum numero adscriptus, a Decano spectabili Ill. d'Alton in album facultatis medicae relatus sum. Hic scholas frequentavi: de anatomia organorum sensuum Ill. d'Alton; de fracturis et luxationibus, de morbis nervorum oculi, de aciurgia tam theoretica quam practica Ill. Blasius; de pathologia et therapia Ill. Krukenberg et Exp. Rosenbaum; de auscultatione et percussione Exp. Mayer. Exercitationibus clinicis interfui tam medicis Ill. Krukenberg; quam chirurgicis Ill. Blasius.

Sub finem mensis IV. a. XLII h. s. alam petii universitatem hanc Fridericam Guilelmam, ubi a Rectore magnifico

Ill. Dieterici in civium academicorum numerum receptus, a Decano maxime spectabili Ill. Juengken in album facultatis medicae inscriptus sum. Hic scholis interfui de physiologia Ill. Mueller; artem obstetriciam me docuit Ill. Kluge, cujus etiam, sicuti Ill. Busch, scholis interfui obstetriciis clinicis. Scholis clinicis praeterea interfui: policlinicis Cel. Truestedt, chirurgicis Ill. Juengken et Ill. Dieffenbach; medicis Cel. Wolff et Ill. Schoenlein; de morbis infantum Cel. Barez.

His ego viris omnibus, summopere de me meritis, gratias quam maximas et habeo, et semper habebo.

Jam vero tentaminibus omnibus, et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.



THESES.

1. Hydrothorax non semper dignosci potest a pulmonum hepatisatione.
 2. Non est medici, sponte sua, etiamsi artis leges non ob-sint, provocare partum praematurum; ad judicis potius arbitrium res deferri debet.
 3. Causa unica, cur curatio infantum difficilior existat, quam adultorum, hæc est, quod apud illos symptomata ex pulsu non tanti, quam apud hos, sunt momenti.
 4. Exploratio physicalis, quae dicitur, in pneumonia acuta ad curam nihil valet.
 5. Methodus antigastrica hodie multo rarius et cautius adhi-benda est, quam saeculo praeterito.
 6. Jurisprudentia sine medicina existere non potest.
-